



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

x. De interruptione suspensionis per iudicis auctoritatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

se validam. Deinde, quia licet appellatio sequens non potest suspendere censuram, quando illa habet effectum coniunctum, quando tamen effectum coniunctum non habet, suspendere potest. Exempli gratia; si aliquis suspensus esset ab ingressu Ecclesiae sub conditione, sine villo dubio antequam adueniat conditio, valide appellare potest, & non alia est ratio, cur hoc possit, nisi quia tunc censura non est coniuncta cum effectu; posteaquam autem conditio aduenit appellare amplius non potest, quia censura habet effectum coniunctum, sed eadem omnino est ratio siue censura ab initio non habeat effectum coniunctum, siue ex post facto id est, per suspensionem Iudicis, postquam semel habuit effectum. Ergo sicut illa, quae ab initio non habuit effectum coniunctum suspendi poterat, ita & ista, quae ex post facto effectum non coniunctum seu suspensum habet suspendi potest; & consequenter sicut illa appellatio interrupta valida est, & haec similiter valida erit.

Ex quibus constat, quid ad prioris opinionis rationes respondendum sit. Nam d. cap. is cui, loquitur ubi sententia non est suspensa: Quae responsio non tollitur vi argumenti secundi, quando quidem sicut sententia sub conditione lata, interrupta appellatio sic suspenditur, ut ad hunc conditionem non obliget, argu. cap. praeterea, & ibi d. not. de appell. eo quod conditio nihil ponit in esse; arg. l. si quis sub conditione, ff. si quis omis. cau. test. vnde se habet res ac si adhuc sententia lata non esset, ideoque quasi ante sententiam lata appellatio intercesserit sententia reditur nulla, arg. c. per tuas, de sent. excom. in antiq. & c. Soles, eod. tit. lib. 6. ita etiam, & suspensa semel sententia, valide interponitur appellatio ita ut elapso termino suspensionis nulla reddatur; Nec tamen iudex sibi prauidicat, eo quod eam suspendendo semel, voluntarie iuri suo renunciare videtur, dando parti libertatem ut intra terminum praefixum appellet, si id ei, quavis ratione expedire videat.

De Interruptione Suspensionis per iudicis auctoritatem. Cap. X.

SUMMARIUM.

- 1 Suspensionis effectus, sicut & excommunicationis, ad tempus suspendi, & interrumpi potest.
- 2 Censuras ferendi potestas, quamuis iuris diuini sit, quod tamen hos, vel illos effectus censura habeant, iuris est humani possitui.
- 3 Interdicti quibusdam festis licite diuinis interesse possunt.
- 4 Papa censuram quamcumque ita suspendere potest, ut eam transgrediens irregularitatem non incurrat.
- 5 Excommunicationis effectus non nisi a Papa suspendi potest.
- 6 Iuris communi omnes, excepto Papa, subiecti sunt.
- 7 Interdictum a se latum Episcopus suspendere potest, ut sic celebrari possit sine peccato.
- 8 Interdictum personale, & suspensio quae illi simillima est suspendi possunt.
- 9 Excommunicatus, necnon interdictus ante penitentiam absolui possunt.
- 10 Interdictum, sicut nec peccatum mortale, aliquem extra Ecclesiam non ponit, sed id solum facit excommunicatio.
- 11 Censura Ecclesiastica ad nutum & voluntatem ferentis ligat.
- 12 Suspenso seu interruptio censurae, an censuram ipsam secundum substantiam, an vero secundum effectum tollat.
- 13 Censurae substantia per interruptionem non tollitur, sed solum effectus eius ad tempus suspenditur.
- 14 Censura tunc habet quod per appellationem omnem suspensionem possit, sicut per iudicis auctoritatem potest.

15 Appellatio ex sua natura censuras omnes suspendere possit nisi Ecclesia aliter statuerit.

VT autem res tota manifestior reddatur, dubia quaedam examinanda sunt. Quorum

1 *Primum est*, An censura per Iudicis auctoritatem suspendi, seu ad tempus interrumpi possit: ita ut illa non obstante licite intra illud tempus celebretur? In qua re aliqua certa sunt, aliqua vero incerta.

Primo quidem certum est effectus censurae suspendi posse, ut de excommunicatione habetur in ca. Quoniam multos i. quest. 3. & in cap. cum in dubijs, & in cap. cum voluntate & in ca. responsio, de sentent. excommunic. in antiq. & in cap. solet, eod. lib. 6. ubi nobis cum excommunicato versari aliquando permittitur, quamuis excommunicatio vi sua id prohibeat, & de interdicto idem colligitur ex c. Quod in te, de penit. & remiss. & in cap. Non est vobis, de spons. & in cap. per mittimus, de sent. excommunic. in antiq. & in cap. his, de sentent. excommun. lib. 6. ubi licet tempore interdicti diuina fieri, & ministrari prohibentur ex causa tamen quaedam permittuntur fieri; & ratio est, quia censurae omnes quoad suos modos, & effectus iuris possitui. Quamuis enim potestas ferendi censuras iuris diuini sit, quod tamen aut per excommunicationem quis communicatione Sacramentorum, & hominum priuetur; aut per suspensionem a functionibus Ecclesiae arceatur; aut per interdictum a Diuinis repellatur, iuris positum est; ut de excommunicatione tradit Sorus 4. distinc. 22. quest. 1. artic. 1. versic. Ex his autem. Ius autem posituum ab habente potestatem tolli, aut mutari potest, aut etiam suspendi, ut ex dictis constat, dum cum excommunicatus ex causa versari liceat, aut eam interdictis, & suspensis, (dummodò denunciat non sint) in Sacramentorum, & diuinorum vsu participare concessum sit, argum. Extrat. *Ad euersionem scandala*, immo etiam si denunciati essent, in necessitate Sacramentum baptismi, & etiam penitentiae ab ipsis sumere non prohibentur, ut communis DD. opinio testatur, & colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7. de casuum referuat.

3 *Secundo* certum est, effectum censurae suspendi posse etiam respectu habito ad eum qui censura irretitus est; est enim excommunicato permittitur, ut se teneatur, si oppugnetur, capit. cum inter, & cap. sine, de except. in antiq. & in cap. r. de script. lib. 6. id quod non solum in profanis verum est, sed etiam in diuinis manifestum est ex cap. Alma mater, de sentent. excommun. lib. 6. ubi interdictis ipsis permittitur est quibusdam festis, ut licite diuinis interesse possint.

4 *Tertio* certum etiam est, Summum Pontificem suspendere posse censuram quamcumque ad eum modum, ut ipsis sine villo irregularitatis, aut alterius poenae metu, Sacramenta sumere, aut ministrare liceat. Ratio est, quia tamen censura quoad hos effectus iuris possitui est, ex Panorm. in c. si vere, de sent. excom. quam etiam ipsa inter irregularitas, argum. capit. is, qui de sentent. excommunic. lib. 6. omnis enim irregularitas a iure positio est; & consequenter a summo Pontifice, qui iuri communi praest, argum. capit. proposuit, de concess. praeb. tolli, aut suspendi potest omnis huiusmodi effectus; ut probatur argum. eorum quae habentur in procm. Decret. in antiq. & lib. 6. & in capit. final. de Constitut. & latius traditur ab Innocent. in capit. Ad monasterium, de Regular. & Panormitan. in capit. Nonnulli, numer. 1. de sentent. excommun. & Felin. in ca. 1. nume. 1. de Constitut. & a glos. in Clem. unica, in verbo, pro infectis, de immunit. Eccles. & a glos. in capit. Ad haec quonia, in verbo, interdictum, de appell. ubi ait Papam permittere posse in Ecclesia interdicta speciatim, ut diuina licite celebrentur.

5 *Quarto*, ex communiore sententia, excommunicationis censura suspendi non potest ab alio inferiori iudice, ut notat Decius in ea. Ad haec quonia, numer. 5. de appell. & facit quod tradit glos. in c. presenti, in verbo, declaramus, de sent. excommun. lib. 6. ubi ait excommunicationem non

posse suspendi scilicet ab inferiori iudice, & Angelica, in verbo, excommunicatio, 2. nu. 5. Tabiena, verbo, excom. 2. nu. 9. vers. Nono, ubi ait, excommunicacionem aut totaliter tolli, aut totaliter ligare, ita ut reocidat in aliam numero, non specie, qui absolutus cum reincidentia fuit, ex eo scilicet, quia non se presentat, vel quia non satisfact, vel quia non se preparat, ut lib. 2. de excommun. capit. 15. latius expositum est.

6 De interdicto autem, & suspensione dissentio est inter auctores, solet autem tractari hæc questio a DD. de interdicto, quia verò idem DD. existimant suspensionem in hæc re similem esse interdicto, ideo breviter eam hic examinare oportet. Et quidem Calderinus, & Ioan. de Lignano in prædicta disputatione ut refert Panorm. in capit. Ad hæc quoniam, num. 5. de appell. Interdictum per Episcopum suspendi non posse docuerunt, ea ratione ducti, quod effectus interdicti ab interdicto separari non possit, hoc est, actus primus, id est, sententia, seu vinculum, a secundo actus id est ab effectu separari non potest, quandoquidem censura ista secum trahunt executionem, & consequenter removere non potest effectum remanente substantia seu quod idem est, sententia ipsa eandem etiam opinionem sequitur Vgol. de censur. Eccl. Tab. 1. cap. 9. §. 1. num. 9. hac ratione motus, quòd tam effectus suspensionis, seu interdicti, quam ipsamet suspensio seu interdictum, quoad modos iuris positiui sunt, ex Panorm. in cap. si vere, de sentent. excomm. num. 8. cui iuri subiiciuntur alij omnes excepto Papa, & ideo in eis dispensare, aut effectum eorum suspendere nequeunt.

7 Alij tamen, ut glos. in cap. Ad hæc quoniam, in verbo, interdictum, & in cap. Dilectis filijs. §. Quia verò, in verbo, suspendendum, & ibidem Panorm. & Decius, & Card. & Ioan. Andr. ut refert Panorm. in d. cap. Ad hæc quoniam, numer. 4. & in d. ca. dilectis, num. 2. 2. & Butr. & Imola, relati a Decio, in cit. cap. Ad hæc, numer. 5. Angelica verb. interdictum, §. nu. 3. Tabiena verb. interdictum, 1. §. 1. Navar. in Man. cap. 27. num. 165. & num. 183. Couar. in cap. Alma mater, par. 2. §. 2. num. 4. de sentent. excomm. lib. 6. Henriquez lib. 13. c. 47. §. 1. & Sotus 4. dist. 22. qu. 3. art. 1. Concl. 3. vers. Atqui illud docent, Episcopum interdictum a se latum suspendere posse, ut sic celebrari possit sine peccato; quia sicut potest illud in torum tollere, arg. iudiciū soluitur, ff. de iudic. ita a fortiori potest illius effectum durante sententia interdicti suspendere; ut Ioan. Andr. argumentatur. Quorum opinio mihi magis placet, existima enim tum a iure tum a iudice interdictum, si quod suspendi posse; Quod evidentem colligi videretur ex cap. Dilectis, de appell. ut recte Pan. ibi. ponderavit, siquidem Decanus ille qui suspenderat interdictum a se latum, non reprehenditur a Pontifice in hoc, sed solum in eo quòd non detulerit appellationi interpositæ post talem suspensionem. Ex quo textu duo inferuntur, vnum est, non male fecisse suspendendo interdictum, quia ob hoc non reprehenditur; Alterum est, prædictam suspensionem, vere suspendere effectum ipsius interdicti, ita ut appellatio consecuta vim suam habeat, ut teneat sententiam in suspensio. Deinde id probatur ex cap. Alma mater, de sentent. excomm. lib. 6. ubi interdictum generale loci in quatuor anni festiuitatibus suspenditur, ut latius dicemus in materia interdicti; potest igitur sententia hæc suspendi. Et demique hoc ipsum ex communi praxi Ecclesie confirmari videtur; videmus enim sæpe censuras istas suspendi a prelati, ut patet de suspensione interdicti per Decanum Altissiodorensium in d. cap. Dilectis, de appell. Item de illa suspensione facta Bononia, tempore Ioannis de Lignano ubi supra, ex quibus constat sententiam interdicti etiam in aliquo casu suspendi posse. Idem etiam tenet expresse Hostiensis relatus a Ioan. de Lignano, ubi supra, de sententia suspensionis, & alij omnes superius allati. Nec valent quæ in contrariū afferuntur, falsum enim est effectum a sententia separari non posse, cum id ex oïum consensu auctoritate summi Pontificis fieri possit, quandoquidem censura oēs, eaque effectus a iure positiuo humano proficiscitur, et quod inferior res et id facere possunt, & experientia testatur, & ex multorum DD. sententia, & ex ipso iure in d. ca. Dilectis, colligitur,

8 Dubium secundum est, An interdictum personale suspendi possit, & hoc magis ad rem facit, quòd interdictum personale est magis affine suspensioni, de qua tractatur. In quo respondet cum distinctione, si quis enim est personaliter interdictus propter propriam culpam, tunc, inquit, interdictum hoc per suspensionem non potest suspendi; si autem sit interdictus propter culpam alienam, tunc interdictum hoc suspendi posse putat, quòd idem docuit in cap. vi. privileg. de privilegijs lonic. affirmat. Quod probatur quia interdictus ob culpam propriam, ex quo non penitet est extra Ecclesiam, non potest igitur hoc interdictum suspendi, quia per hanc suspensionem esset intra Ecclesiam & sic simul esset intra, & extra Ecclesiam.

Hic tamen non obstantibus, existimo dicendum simpliciter, omne interdictum personale suspendi posse; & consequenter suspensionem, quæ est simillima interdictum personali, suspendi etiam posse. Id quod Hostiensis ea ratione probat, quia iudex potest simpliciter tollere in totum interdictum personale etiam latum propter culpam ipsius interdicti, unde a fortiori ipsam ad tempus suspendere valet. Deinde non valet fundamentum Panorm. Nam primo supponit hanc interdictum non penituisse, & ideo eius censura non posse suspendi, quia non penituit quòd

9 est falsum; nam potest penituisse. Secundo, excommunicatus potest absolui ante penitentiam, ergo & interdictus, ergo a fortiori interdictum ad tempus suspendi potest, & hoc etiam personale interdictum sit, & latum ob culpam propriam, in qua permanet; multa enim accidere possunt, quæ iustissime valeant iudicem inducere ad suspensionem itam temporariam constituendam potius, quam simpliciter

10 cem eius relaxationem, vel observacionem. Tercio, falsum est etiam quòd ait Panorm. interdictum antequam penitiret, esse extra Ecclesiam; quandoquidem nec peccatum mortale ponit hominem extra Ecclesiam, nec sententia interdicti, solum enim excommunicatio hominem extra Ecclesiam ponit; Non ergo sequitur suspensio ad tempus interdicti & homine in crimine, aut contumacia ob quam est interdictus, permanente eundem esse simul intra, & extra Ecclesiam. Quòd igitur interdictum personale suspendi possit & ex dictis constat, & expresse docent Sotus 4. distinct. 22. quest. 3. artic. 1. Concl. 3. vers. Atqui illud, & Syluest. verbo, interdictum, 3. §. 8. vers. 3. Tabiena, verb. interdictum, 3. vers. Secundo, & vers. Tertio, Angelica, verbo, interdictum, §. numer. 3. Navar. in Manual. capit. 27. num. 165. vers. Secundo, quòd excommunicatio, & numer. 183. vers. Decimo sexto Couar. in cap. alma mater, par. 2. §. 2. numer. 4. de sentent. excomm. lib. 6. ubi ex professo celebrandi tempore interdicti personale ob culpam propriam latum, manente interdicto in contumacia; ab Episcopo ad tempus suspendi posse, & etiam permittere posse, ut sic interdictum a se celebrare possit officium divinum sine nota irregularitatis, dum modo talem permissionem concedat ex causa, & ad tempus, ne videatur privilegium dare aduersus commune celebrandi tempore interdicti. & Henriquez etiã hæc nostram sententiam defendit lib. 13. de excomm. & interdicto, c. 47. §. 1. & colligitur ex glos. in cap. præfati, in verb. declaramus, in fine, de sen. excomm. lib. 6. & a fortiori suspendi potest interdictum latum in locum, ne interrim celebrans iudicetur irregularis, quòd intelligo etiã ad tempus, ab eo, qui id tulit, id quòd receptum esse docet Couar. ubi supra, cum glo. Ioan. Andr. Antonini, Cardin. Imola Franc. & Decio in ca. Ad hæc quoniam, de appell. Quorum omnium hæc ratio est; quia Censura Ecclesiastica ligat ad nutum & voluntatem Iudicis eam ferentis, cap. veniens, 2. de testib. & c. significasti, de eo, qui dux. in matrimon. & facit c. Dilectis, §. Quia vero, de appellat.

12 Dubium tertium est, An per istam suspensionem, seu interruptionem censura tollatur ad tempus ipsa censura secundum substantiam, an solum secundum effectum? Omnis disputationibus DD. existimo duo hæc probabiliter dici posse:

Primum est, ex Ioan. de Lignano ubi supra, & fauere Tabiena, in verbo, interdictum, 1. §. 1. valde probabiliter esse ipsam

De Violatione Suspensionis.
Cap. XI.

SUMMARY.

- 1 Suspensionis censura duobus præcipue modis violari potest, & quinam illi sint.
- 2 Communicare cum suspensio ab officijs diuinis licet, sicut cum excommunicatis, quousque denunciati sint.
- 3 Parochiani a suis parochis suspensis, aut personaliter denunciatis, quousque denunciati sunt, Sacramenta petere possunt, nec parochus ministrando ea in hoc casu peccat aut irregularis est.
- 4 Communicans cum suspensio denunciato in actibus humanis, ad summum veniale tantum peccatum committit.
- 5 Communicans cum suspensio denunciato in actibus sacris, & in illis, a quibus est suspensus, mortaliter peccat.
- 6 Communicans cum suspensio denunciato, etiam in diuinis, censuram aliquam suspensionis minoris non incurrit.
- 7 Missam audiens a suspensio denunciato, secluso scandalo, non peccat, si illum ad celebrandum non induxerit.
- 8 Violans sententiam suspensionis per exercitiū actus, a quo quis suspensus est, mortaliter peccat.
- 9 Suspensus a minoribus, quamuis actum eius, a quo suspensus est, exerceat solemniter, non peccat mortaliter ex genere suo.
- 10 Indecentia maior est actum ordinis superioris, quam inferioris, in suspensione exercere.
- 11 Violans scienter suspensionem ab ordine, vel officio, deponendus est in perpetuum.
- 12 Violans suspensionem ignoranter, an, & quando penam mereatur.
- 13 Ignorantia quænam censetur in totum, vel in parte a peccato excusare.
- 14 Violans scienter suspensionem excommunicari debet.
- 15 Suspensus actum aliquem exercens, qui ad potestatem solius ordinis spectat, actum illū valide exercet, & quænam huius ratio sit.
- 16 Violans suspensionem in multis casibus irregularis efficitur.

ET quoniam suspensionis censura, sicut & alia, duobus modis violari potest, vno modo ab ipso met suspensio per exercitiū actus illius, a quo est suspensus; Alio modo ab eo qui non est suspensus per communicationem seu participationem cum suspensio, in eo actu, a quo erat suspensus, idē de vtriusque breuiter dicendum est.

1 Et primo quidem de hoc posteriori agendum est, de quo non est magna difficultas: Quamuis enim tam de Clerico suspensio ab officijs diuinis, quam etiam de suspensio a Sacramentorum administratione, & de personaliter interdicto, Concilium Constantiense & iura non satis explicitent, an liceat cum huiusmodi participare in Sacris & Sacramentis quando denunciati publice & nominatim non sint; quia tamen hoc scitu necessarium est, & aliqua ratione ex eodem Concilio colligitur, & magis explicatur in Concil. Basili. & Lateran. sub Leone X. Sess. 11. dum dicitur, *Præterea cuiuscunque censura aut sententia a iure, vel ab homine & existimo certum, quicquid olim iure antiquo, etiam occulte suspensio in Sacramentis vitandi erant nunc tamen iure nouo licite cum eis participare nos posse sicut etiam cum excommunicatis non denunciatis, cum in his eadem omnino militet ratio, ad vitandum nimirum scandala, & pericula multa, & vt hac ratione timoratis conscientijs subueniatur.*

2 A parocho igitur suspensio, aut personaliter interdicto, si denū

ipsam substantiam censuræ tolli ad tempus, ad eum modum, quo tollitur sententia excommunicationis quando aboletur cum reincidentia, seu quando quis absoluitur in articulo mortis a simplici confessorio cum obligatione presentandi se superiori; per talem enim absolutionem vere tollitur censura, quæ tamen eadem specie redit, si homo non se presentet superiori, quando commodè potest, vel non faciat illud, quod ei iniunctum est, quando absoluitur cum reincidentia.

Contra hoc tamen dictum obijci potest, quia sequenter durante suspensione censuræ hominem non posse simpliciter absolui ab ista censura, eo quod censura tunc non est. *Cui Respondetur* primo, Non esse inconueniens aliquod, si dicamus, hunc, durante suspensione censuræ, non posse simpliciter absolui. Secundo, Dicit potest, ipsum verè absolui posse, sicut absolutus cum reincidentia, antequam reincidenti datur, potest simpliciter absolui; & hoc casu ista absolutio, hoc operatur vt censura quæ post istud tempus debebat redire, non redeat, & vt homo qui erat liber solum ad tempus, maneat perpetuo liber ab huiusmodi Censura.

13 Alterum est, Aequè probabile, & fortè probabilius esse, non tolli substantiam censuræ, sed solum effectum eius ad tempus suspendi. Sic Innoc. in cap. cum inter de Consuetud. Panor. in cap. Ad hæc quoniam, num. 5. & in cap. Dilectis, numer. 22. de appell. & Ioan. Andr. & alij ab eo relati. Couar. in cap. alma mater, par. 2. §. 2. num. 4. de sent. excomm. lib. 6. & pro hac re faciunt quæ traduntur in eum & plantare, §. Quod si templarij, de priuileg. & ff. de precarijs, l. sed si manente, & ff. de peculio, l. peculium, §. si ero.

Contra hanc tamen sententiam duo obijci possunt. Primo, hoc videri contra naturam ipsius censuræ, de intransita enim ratione censuræ est, vt trahat secum executionem vnde habet vt neque per sequentem appellationem suspendatur. Igitur poterit manente censura suspendi executio.

Secundo, Quia maior est vis appellationis in suspendendo effectum sententiæ, quam potestas iudicantis post latam sententiam, vt patet, quia appellatio suspendit infamiam secutam ex sententia, vt l. furti, ff. de his qui notant. infam. quam tamen infamiam Iudex suspendere non potest quin sequatur condemnatum de furto, l. Non potest, ff. de furt. sed appellatio suspendere non potest effectum sententiæ censuræ, ergo minus ipse Iudex, hoc enim non dependet a potestate sua, sed ex iuris dispositione. Quod argumentum dubium fecit Panor. mitatum in d. cap. Ad hæc quoniam, num. 5. de appellat. quamuis postea in cap. dilectis, num. 22. tit. eodem expressè hanc nostrā assertionem defendit, & facile solui possunt quæ in contrarium allata sunt.

14 Ad primum enim respondetur, Non esse de intrinseca ratione censuræ, vt secum trahat executionem, nec esse de ratione censuræ, vt per appellationem non suspendatur, sed hoc totum ex iuris dispositione prouenit: Vnde, si iura non prohibuissent, appellatio suspenderet omnem Censuram. Constituerunt autem iura censuras non suspendi per appellationem, & suspendi per Iudicis Auctoritatem, vt hac ratione homines, censuras & Iudices Ecclesiasticos magni facerent, & magis timerent.

15 Ad secundum etiam facilis est responsio: nam dici potest, appellacionem ex sua natura posse suspendere censuras, nisi Ecclesia aliter statuisset. Deinde esto, appellatio in ordine ad aliquos effectus plus possit, quam potestas iudicis, vt in exemplo allato de infamia sequente damnatum de furto; in Suspensione tamen effectus censuræ, plus potest Iudex, quam appellatio, vt constat; Quia antequam censura sit suspensa per iudicem appellatio non potest legitime interponi, & si interponatur, nullum habet effectum postquam autem censura per Iudicem suspensa sit, tunc valde interponi poterit appellatio. Suspendio igitur Iudicis vim, & robur dat appellacioni, & consequenter plus poterit Iudex, quam appellatio.